

ipsomet Aristotele teste. Sic attestante Simplicio commentario ad hunc locum hisce verbis:³ *Dextrum enim et sursum et ante bonum vocabant: sinistrum vero et deorsum et retro malum appellabant. Sicuti ipsemet Aristoteles in collectione eorum, quae Pythagoreis placebant,*
 5 *narravit. Sex ergo coeli positiones noverant Pythagorei, id Aristoteles cognovit ac scriptis suis est attestatus, attamen sic eos accusare libuit, quod de sex quatuor omitterent, cur id, philosophus veritatis amans, contra veritatem? Excusat eum Simplicius solita excusatione, quod scilicet non dogmata ipsa, sed apparentiam in*
 10 *eorum verbis redarguat. Huic excusationi libro praecedente est a nobis occursum.*

HARMONIA

Capite deinde 9. accusatur corporibus coelestibus harmonia tributa, omnes interpretes excipiunt ea contra Pythagoreos dici,
 15 *inter quos etiam hic idem Simplicius attamen versus commentarii finem inquit:*⁴ *Vel nescio quos neque enim nominatim hic de Pythagoreis dicit. Quare cum ii nomine non adducantur, nos quoque hunc locum praeteribimus.*

Est eodem libro capite 13. satis longa redargutio Pythagoreorum de terrae atque antichthonos situ ac motu. Quam Simplicius idem Aristotelis amator atque excusator perpetuus non legitime ab Aristotele exceptam confitetur. Ait enim commentario 47:⁵ *Et sic sane ipse Pythagorea exceptit, qui vero ingenue magis ab*

³ τὸ γοῦν [γὰρ] δεξιὸν καὶ ἄνω καὶ ἔμπροσθεν {καὶ} ἀγαθὸν ἐκάλουν, τὸ δὲ ἀριστερὸν καὶ κάτω καὶ ὀπισθεν {καὶ} κακὸν ἔλεγον [προσηγόρευον], ὡς αὐτὸς Ἀριστοτέλης [ὁ Ἀρ.] {ἰστόρησεν} ἐν τῇ τῶν Πυθαγορείοις ἀρεσκόντων συναγωγῇ [ἐν τῇ συλλογῇ τῶν τοῖς Πυθαγορείοις ἀρεσκόντων διηγήσατο]. [Petrićev tekst dosta različit. Usp. SIMP. in Ph.7.386.20 – 23]

⁴ ἢ οὐκ οἶδα τίνας, οὐ [οὐ δὲ] γὰρ σαφῶς [διαρρήδην] τοῦτο [ἐνταῦθα] περὶ τῶν Πυθαγορείων λέγει [φησί]. [SIMP. in Ph. 7.470.15 – 16]

⁵ καὶ οὕτω μὲν αὐτὸς τὰ τῶν Πυθαγορείων ἐξέλαβεν οἱ δὲ γνησιώτερον αὐτῶν μετασχόντες. [SIMP. in Ph.7.512.9 – 10]